

magisterii. Practica verò est illa pars, in qua forma & modus rectè operandi describitur, secundum exigentiam dispositionis præcognitæ per theoreticam. Et ideo quia neque dispositiones corporum supradictorum, neq; suæ naturæ possunt esse cognitæ, nisi per considerationem rerum naturalium & innaturalium & contra naturam, pro meliori intellectu dividimus theoreticam in tres partes, cum dispositiones totius corporis permutabilis in genere non sint nisi tres, scil. temperamentum, intemperamentum & neutralitas. Primò sciendum est, quòd temperamentum sub rebus naturalibus comprehenditur, quia formaliter sua complexio est de partibus subtilibus & simul adunatis. In quarum compositionibus partium philosophi diffusè locuti sunt, largè accipientes, in quantum potuerunt comprehendere continuationem & aggregationem partium, quando continuitas illa compositionem suam accipit. Intemperamentum autem comprehenditur sub rebus quæ contra naturam sunt, & ideo corruptio alio nomine vocatur, vel veri elongatio temperamenti, cum qua totum & sine ea nihil. Neutralitas verò continet medium partium prædictarum, alio nomine dicta ligamentum dictarum extremitatum, temperamenti videlicet & intemperamenti, aliàs dicitur dispositio media inter duas contrarietates.

*De temperamento corporum, & intemperamento, & neutralitate, & de medicina, & de instrumentis naturalibus & innaturalibus, & contra naturam.*

C A P. I I.

**E**T ideo debes advertere, quòd verum temperamentum est dispositio naturalis corporum perfectorum, per quam actiones naturales perfectæ sunt in perfectione medicinæ, in qua sine alio medio perficiuntur, quæ intrant per totum, & per hoc debet esse naturæ dispositio qualitatis omnium corporum, & non actionis. Quia si corpus medicinale non est bene temperatum, cessaret omnino ad mutandum corpus imperfecta ad perfectionem, quæ cum debita projectione perficitur: verum tunc nominatur potens temperamentum solummodo, quod sit aptum ad complendum actionem, quæ sibi datur per complexionem sui temperamenti, cum complemento, quod ei datur per viam & modum projectionis notæ. Hæc actio reddit & ordinat medicinam aptam & habilem per suum temperamentum. Ad cuius cognitionem debet principaliter intendi & dirigi intentio illius, qui opus nostrum

strum